



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus I. Argumentum. Patronus si in actu præsentationis ad beneficium habeat pravam intentionem recipiendi à Præsentato fructus beneficii, aut aliquod munus, an ex hoc committatur confidentia, ut ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

stitutus ab alio, quàm à Romano Pontifice absolutionis Beneficium valeat obtinere. Hos enim ad vocatione causarum hujusmodi, & reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, nobis, & prædictis successoribus, ut prædictum est facta, causis illis dumtaxat exceptis, quæ jam coram nobis pendere noscuntur, ac etiam iis, quas ratione Ecclesiarum, & Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consuevit, aut debet, itemque contra Ordinarios Collatores Episcopos, & alios Superiores Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, uti jam aliis nostris literis statutum est, audiendis, decidendis, & terminandis, harum seriè prorsus relaxata, decernimus ita deinceps quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædicta Romana Ecclesia Cardinales, sublata eis, & ipsorum cujuscumque quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, interpretari, & deserviri debere, nec non initium, & inane quicquid secus in prædictis per quoscumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. = Confidentia autem crimen habet peculiarem Judicem in Romana Curia, qui Auditor confidentiarum appellatur ex Constitutione Sixti V. la 47. Bull. Rom. nov. tom. 2.

Quo ad hunc Canonem spectant omnes illi Casus, quos superius examinavimus Par. II. Can. XII. & XIII. ubi plura notavimus simoniæ materiam concernentia, cum qua plurimum est cognata, & conjuncta Confidentia beneficalis, cum sit ejusdem simoniæ species; hæc verò sequentia superaddo.

ARGUMENTUM.

Patronus si in actu præsentationis ad beneficium habeat pravam intentionem recipiendi à Præsentato fructus beneficii, aut aliquod munus, an ex hoc committatur Confidentia, ut ex ea præsentatio dicatur nulla; & Beneficium sit Sedi Apostolicæ reservatum.

SUMMARIUM.

- 1 Confidentia an committatur ex sola prava intentione Patroni præsentantis? Vide ibi & num. 11.
- 2 Patronus si præsentet cum prava intentione recipiendi aliquam recognitionem à Præsentato non dicitur ex hoc commissa Confidentia simoniaca punibilis.
- 3 Confidentia est duplex; & quæ sit? Vide ibi.
- 4 Confidentia simoniaca, & punibilis committitur ex præcedenti pacto, tractatu, conventionem, & conditione expressa, vel tacita.
- 5 Dicitur commissa Confidentia simoniaca, si Præsentatus instructa lite coram Ordinario, illi renunciet, & cedat juri, quod habebat super beneficio favore Colligantis, cum pacto, ut ab hoc sibi solvatur certa pecuniarum summa. & num. 22.
- 6 Patronus si promittat præsentare aliquem

cum pacto, ut sibi vel alteri relinquatur fructus beneficii, aut solvatur pensio, ex hoc diceretur commissa Confidentia simoniaca, & punibilis, & num. 37. Amplia ut n. 7.

- 8 Committitur Confidentia Simoniaca, si Patronus præsentet, aut constituat Procuratorem ad præsentandum cum pacto dimittendi, vel resignandi beneficium, pro sui, vel alterius arbitrio. Limita ut n. 9.
- 10 Secluso pacto, aut conditione non committitur Confidentia punibilis.
- 12 Intentio prava Patroni ad effectum inducendi Confidentiam non nocet Præsentato.
- 13 Literæ Apostolicæ in omnibus justificatæ sunt exequendæ, & num. 33.
- 14 Literæ Apostolicæ si sint subreptitiæ, non sunt exequendæ. & n. 41.
- 15 Quæ sit differentia inter vocationem ad juspatronatus passivum mediatam, & indirectam, & vocationem immediatam, & directam. Vide ibi & n. 16.
- 17 Ex quibus probetur Fundatorem noluisse qualitatem Senioritatis in juspatronatus passivo. Vide ibi, & n. 18. & 19.
- 20 Qualitas Senioritatis volita in juspatronatus activo, an censeatur repetita in Patronatu passivo. & n. 21.
- 22 Quando concursus est inter lineas, prerogativa gradus non servatur nisi discretivè in qualibet linea, & unusquisque proximior in sua linea in materia indifferente succedit cum altero proximior de altera linea.

- 24 Ob confidentiam aut simoniam amittit, quis vocem passivam, & redditur inhabilis ad assequendum beneficium etiam vi nova presentationis.
- 25 Simonia ex quibus probetur; Vide ibi & num. 27.
- 26 Non licet etiam in Beneficio litigioso cedere jura, & concordare pretio mediante, absque Beneplacito Apostolico.
- 28 Simonia an dicatur cessare quando conventio unice respicit renunciationem litis, & solutio pecuniarum facta sit ad redimendas vexationes, & in compensationem expensarum litis?
- 29 An quis dare possit pecuniam pro conservatione Juris spiritualis quaestii absque vitio Simoniae.
- 30 Simonia committitur etiam si datio pecuniae facta fuerit, nomine expensarum litis.
- 31 Episcopus an possit inter Colligantes uni dare institutionem, & alteri pensionem reservare.
- 32 Episcopus non habet facultatem approbandi concordias Simoniacas.
- 34 Facta promissione inter ipsos Patronos presentandi certam personam, an illi possint ab ea recedere?
- 35 Simplex tractatus circa personam nominandam nulli jus tribuit.
- 36 Promissio presentandi certam personam facta inter Patronos conditionalis, & respectiva, deficiente conditione, dicitur resoluta.
- 38 Patroni durante quadrimestre possunt liberè poenitere, & resilire à promissione presentandi simoniaca antequam superveniat Beneplacitum Apostolicum.
- 39 Promissio presentandi aliquem, nullum jus certum, & invariabile dat ad beneficium.
- 40 Donato jurepresentandi, potest nihilominus donans priusquam accedat Ordinarii consensus presentare; Intellige ut ibi.
- 42 Ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum requiritur aetas 14. annorum.
- 43 Dispensatio super defectu aetatis obtenta à presentato, elapso quadrimestre dato Patronis laicis ad presentandum, est nulla.

C A S U S I.

Præsentavit Patronus quemdam Clericum ad Beneficium A cum prava intentione recipiendi à Præsentato fructus beneficii, aut aliquod munus, penitus ignorante hanc pravam Patroni intentionem eodem Præsentato; Quæritur, an dicatur in hoc casu commissa confidentia illicita, & punibilis per hunc Canonem, & Constitutionem Pii V. ad eum ut ex ea Præsentatio dicatur nulla, & Beneficium sit Sedi Apostolicæ reservatum.

Videtur affirmativè respondendum, quia confidentia committi videtur sola prava intentione Patroni presentantis, Collatoris conferentis, aut Beneficiati beneficium dimittentis, ut patet ex verbis Constitutionis Pii V. in Commentario relat. §. *Ut si quis ibi = Etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud &c.*

Hoc tamen non obstante censeo non fuisse commissam in hoc casu confidentiam punibilem per hunc Canonem, & supradictam constitutionem D. Pii V. ad eum ut Præsentatio dicatur nulla, & Beneficium sit in hoc casu Sedi Apostolicæ reservatum; non omnis namque confidentia beneficialis est punibilis, siquidem duplex distinguenda est confidentia. Una simoniaca, qua quis confidit aliquem collaturum aliquod beneficium mediante prævio pacto, vel conditione expressa vel tacita. Altera, qua quis confidit beneficium collaturum ob amicitiam, cognationem, vel gratitudinem, absque interventu ullius pacti vel conditionis. Quamvis in presentiarum Patronus habens in actu presentationis pravam intentionem, recipiendi à Præsentato aliquod munus, seu recognitionem dicatur commisisse confidentiam hujus secundæ speciei, tamen non dicitur per eum commissa confidentia primæ speciei, seu simoniaca; & punibilis; hæc enim non minus, quam simonia conficitur ex præcedenti pacto, tractatu, conventionem, vel conditione tacita, vel expressa. Navarr. conf. 33. n. 4. & conf. 36. de simon. Paris. de confidentiis benef. quest. 26. num. 4. & quest. 53. n. 3. Garz. de benef. p. 11. cap. 3. §. 2. num. 165. Lotter. de re benef. lib. 3. q. 29.

q.29. num. 106. Rot. dec. 270. n. 4. 21. & seq. coram Penia, & dec. 238. nu. 8. & decis. 517. n. 30. & seqq. coram Ludovif. & dec. 108. num. 5. p. 1. & decis. 166. num. 2. par. 2. rec.

5 Nimirum conficitur e. g. si Præsentatus instructa lite coram Ordinario, renunciet illi, & cedat juri quod habebat super beneficio vigore cujus sibi debita erat institutio, favore colligantis cum pacto, & conditione, expressa, vel tacita, ut sibi solvatur ab eodem Colligante certa pecuniarum summa, hoc casu diceretur commissa confidentia simonica, ob quam Præsentatus amisisset vocem passivam, & redditus fuisset incapax, & inhabilis ad beneficium denuo assequendum, etiam ex vi novæ præsentationis, ut novissimè in terminis resolutum fuit à S. Rota in Montis Regalis Prioratus 24. Januarii. 1718. §. Suppositum coram Reverendissimo Ansaldo Decano hic inferius impressi.

6 Conficitur quoque si Patronus promittat præsentare aliquem cum pacto, & conditione, ut sibi vel alteri relinquatur fructus beneficii, aut solvatur Pensio, aut dimittatur certa domus; tunc enim diceretur commissa confidentia simonica punibilis per has Constitutiones Paris. de confid. benef. q. 28. n. 200. & 202., & nuper rescriptum fuit à S. Rota in Auximana juris patronatus 27. Junii 1718. §. Secunda ratio coram R. P. D. Rovault de Gamaschis inferius legem. Quod juxta eundem Parisium de confid. q. 38. num. 42. & seqq. procedit etiam si adestent statuta, constitutiones, extrafundamentalia, & consuetudo immemorabilis etiam à Sede Apostolica confirmata solvendi certos fructus, aut Pensionem, Patrono præsentanti; eis namque non obstantibus, promissio præsentandi cum dicto pacto, aut solutio fructuum facta Præsentanti esset confidentia, & simonica, quia hujusmodi statuta, Constitutiones, & consuetudines immemorabiles sunt sublata per hunc Canonem; dummodo tamen Patronus non fuerit inops, aut talis pensio non fuerit referata in limine foundationis, juxta superius notata Par. 2. Can. XII. & XIII. Caf. VI. n. 4.

8 Sicuti etiam conficitur, & committitur confidentia simonica, & punibilis, si

Patronus præsentet aliquem ad beneficium vacans, aut constituit Procuratorem ad præsentandum, conditione tacita vel expressa dimittendi, vel resignandi illud beneficium, pro arbitrio ipsius Patroni, aut alterius cujuscumque; Secus si Patronus non dedit hoc in mandatis, & hic ignorat, tunc enim si Procurator præsentet cum dicta conditione dimittendi beneficium illud pro arbitrio ipsius, vel Patroni, vel alterius, Patronus non incidit in pœnas hujus Canonis, ea ratione quia Procurator non obligat Dominum, ad aliquod illicitum, aut ad pœnam Navarr. conf. 24. de Simon. n. 1. Paris. de Confid. Benef. q. 28. num. 189. & 193. Rot. dec. 166. n. 3. p. 2. rec.

9 Secluso autem pacto, & conditione, sive expressa, sive tacita non committitur confidentia punibilis, & quæ damnetur per hunc Canonem sub pœnis ibi expressis: Sic si quis rogaret enixè Patronum, ut illum præsentaret, generaliter promittendo futurum gratum, non committeretur confidentia punibilis. Paris. de confiden. quest. 28. n. 202. §. Dubium est. Sicuti neque committeretur confidentia punibilis, si Patronus præsentaret aliquem ad beneficium vacans, ea intentione, ut præsentatus renunciaret consanguineis, amicis, seu ipsius familiaribus, si nullum pactum intercedat. Navarr. conf. 33. de Simon. n. 4. Paris. de confiden. q. 26. num. 33.

11 Hinc non obstant verba illa Constitutionis D. Pii V. = Etiam sola dimittentis intentione &c. = illa enim sunt intelligenda de intentione nota ei, qui præsentatur, aut qui beneficium recipit, quia sciens mentem, & intentionem Patroni præsentantis, aut collatoris conferentis, aut beneficiati resignantis, videtur ei assentire non verò de intentione prava Patroni, aut collatoris, aut beneficiati, penitus ignota ei, qui præsentatur, cui confertur, aut resignatur beneficium; etenim intentio prava Patroni præsentantis ad effectum inducendi confidentiam non nocet Præsentato; Paris. de confid. benef. quest. 26. num. 16. & quest. 53. ibi = Ut nec etiam noceat Præsentato intentio prava Præsentantis, ad effectum inducendi confidentiam = Garz. de benef. p. 1. cap. 3. §. 2. num. 176. Gabriel. conf. 172. n. 3. lib. 2.

Rmo. P. D. ANSALDO DECANO

Montis Regalis Prioratus.

Luna 24. Januarii 1718.

Prioratum, seu simplex Beneficium à Juvenale de Boettis erectum sub invocatione S. Francisci in Ecclesia Parochiali S. Catharinae loci Villae Novae cum reservatione Juris patronatus activi primo loco ad favorem suorum filiorum masculinorum proprio, & naturali nomine nuncupatorum, & successivè ad favorem omnium Descendentium ab eis, cum hoc tamen, quod praesentare semper deberet Senior in qualibet linea existens, cum Jure accrescendi inter ipsas lineas; & passivi ad commodum illorum de familia, & descendentia ipsius Fundatoris his verbis concepti = *Item quod existentibus illis, vel aliquo ex illis de ipsius familia, & descendentia masculina ipsius D. Donantis, necnon dictarum suarum filiarum, aut ipsius, & ipsorum Josephi, Annibalis, & Oddini de Coetis (servato tamen ordine, & qualitatibus superius in vocatione ad jus patronatum expressis, nec aliàs aliter, nec alio modo) QUISINT CLERICI PRIMAE TONSURAE, VEL IN AETATE AD PRIMAM TONSURAM si hoc maluerint, debeant in nominatione, & praesentatione, ad dictum Beneficium praeferi aliis omnibus; & sic praesentatus, & nominatus debeat omninò investiri de dicto Beneficio, & Prioratu, dummodo in ceteris ad sit habilitas sufficiens; Et inter plures in eadem linea & pari gradu, quod praeferatur dignior, & habilior, & ubi non ad sit aliquis in dictis lineis, & descendentis, qui velit, & possit admitti, quod tunc possit admitti quilibet alius extraneus = Quod de anno 1700. Christophorus Albertus Boettus obtinere poterat tamquam praesentatus à majori parte Patronorum, à Juvenale nempe Boetto Nepote ex Filio dicti Fundatoris, & ejus Fratre, & à Carolo Antonio ejus unico filio superstitute ipsius Fundatoris, & Patruo dicti Christophori, ad exclusionem alterius Juvenalis pariter de Boettis, unicè praesentati à Joanne Aloysio de Boettis tamquam Seniore lineae Marci alterius Fun-*

datoris; Nihilominus maluit potius illud recusare, & ad pecuniam aspirando, cedendo, mediante concordia inter ipsos inita, ad favorem Juvenalis praesentati ab unica tantum voce praefati Joannis Aloysii, omne suum Jus, quod vigore dictae praesentationis ad dictum Beneficium habere valebat, in correspectivum excambium dictae cessionis ingentem accepit quantitatem pecuniarum librarum ter mille, & monetæ Romanæ scut. sexcentum, ac etiam alias libras quinque mille, & monetæ Romanæ scut. mille pro aliquibus praetensis creditis, quæ tunc temporis non erant debita, sed solum post obitum Tomasinae Uxoris supradicti Marci, ratione alicujus legati ob dictam causam anticipatè soluti.

Postquam igitur praefatas pecuniarum summas praedictus Christophorus fuerat consecutus intuitu supradictae cessionis Jurium super Beneficio, seu potius revera cessionis Beneficii, quod erat indubitanter debitum ipsi cedenti, ex quo habebat duas ex tribus vocibus: Vacato nuper praenarrato Prioratu de anno 1714, non omisit pariter omnem movere lapidem, ad hoc ut idem Juvenalis ejus frater in hac quoque vacatione ipsum praesentaret, non obstante quod jam Beneficium praedictum in pecunia de dicto anno 1700. accepisset, & de facto ejus votis arrisit eventus; sed quia inter Patronorum coetum aderat Joannes Antonius nunc Senior ex linea Marci, hic praesentavit Joannem Antonium ejus ex Fratre Nepotem primæ tonsuræ caractere insignitum, ac consentaneè ad praescriptum Testatoris bonis moribus praeditum, qui non ignorando praesentationem praelaudati Christophori, sed agnoscendo se esse in paritate vocum cum ipso obtinere fatigavit, & obtinuit à S. Sede solitam Gratiam Apostolicam pro Praesentato cum derogatione medietatis vocum, & quæ fuit debitæ executioni demandata.

Verum praefatus Christophorus, qui non valuit ab Ordinario variis, & justis de causis Clericatum obtinere nisi post biennium, eo obtento insurgendo contra praedictum Joannem Antonium dicti Beneficii possessorem, eo excluso, in possessionem ejusdem Beneficii immitti obtinuit in partibus, ideoque reclamante

te Joanne Antonio, iste ex integro causa commissionem nostro Sacro Auditorio directam reportavit; Unde in hodierna Audientia ad formam dictae commissionis proposito per me Dubio = *An Litera Apostolica essent exequenda, seu potius an, & cui esset danda Institutio* = Domini responderunt = *Literas Apostolicas esse exequendas.*

13 Fundamentum enim hujusce resolutionis stetit in eo, quod cum praefata litera Apostolica in sua narrativa comperta fuerint in omnibus justificata, ex quo sine dubio memoratus Joannes Antonius praesentatus fuit per medietatem vocum, & sit unus ex descendentes ex familia Fundatoris passivè vocatis, inde consequatur, quod stante illarum justificatione, omnimodum mereantur executionem secundum ea, quae passim respondit Sac. Tribunal, & signanter coram Me in Romana Cappellania S. Nicolai 28. Junii 1709. S. Amaritudo, & in Bononien. Beneficiorum de Castello super executione literarum 12. Decembris 1712. S. De justificatione coram R. P. D. meo Crispo, & in Cremonen. Beneficii 9. Martii 1714. S. Constituit coram R. P. D. meo Lancetta.

14 Neutiquam attento magnificentato pro parte Christophori objecto, quod jus patronatus passivum competat eidem Christophoro praelativè quoad D. Joannem Antonium, cum supposito quod Fundator dederit praelationem inter plures Seniori, & Proximiori; Et sic tantum absit, quod dictae literae videantur justificatae, quinimò cum dictae qualitates Papae reticita fuerint, subreptionis vitio laborent, & per consequens nullius sint efficaciae, ac inexecutable, per *Text. expressum in cap. super literis, ubi Glossa, & communiter scribentes de rescripti.* Quoniam objectum praedictum nullam habet in facto substantiam, ex quo tale quid ex verbis fundationis non habetur in jure patronatus passivo, licet legatur in jure patronatus activo: In jure patronatus enim passivo aliud Fundator non dixit = *Quod existentibus illis, vel aliquo ex illis de ipsius familia, & descendencia masculina ipsius D. Donantis, necnon dictarum suarum filiarum, aut ipsius &c. servato tamen ordine, & qualitatibus superius in vocazione ad jus patronatus expressis, qui sint Clerici*

Pars VI.

saltem prima Tonsura, vel in aetate ad primam Tonsuram, si hoc maluerint, debeant in nominatione, & praesentatione ad dictum Beneficium praeferi aliis omnibus, ET SIC PRÆSENTATUS, ET NOMINATUS DEBEAT OMNINO INVESTIRI DE DICTO BENEFICIO, & PRIORATU = Unde 15 cum Fundator vocaverit illos de ipsius familia, & descendencia masculina, non immediatè, & directè, sed mediatè, & indirectè, hoc est mediante facto Patronorum, qui illos praesentare debebant ex illis verbis = *Et sic Praesentatus, & Nominatus debeat omnino investiri de dicto Beneficio, & Prioratu* = In his terminis si de tempore praesentationis plures existant Consanguinei, licet inter ipsos diversa aetatis qualitas intercedat, si Patroni praesentent, & praeligant aetate minorem, praesentatio infringi non valet ex oppositione alterius Senioris, ex ea viva ratione; quod cum Patronus in hoc casu habeat solam obligationem praesentandi unum ex Consanguineis, absque ullo alio vinculo, praelectio istorum prorsus dependet ab arbitrio eorundem Patronorum, nè aliàs libertas concessa Patronis eligendi intrà certum genus, remaneret omnino frustratoria, & de vento, prout remaneret admissa tali necessitate praesentandi semper digniorem, quia ille qui de necessè debet praesentari non indiget Patronorum suffragiis, sed ex juris supplemento habetur pro Praesentato, ut aliàs respondit Rot. in nullius, seu Orbitellen. juris patronatus 13. Januarii 1696. S. Primo, coram Eminentissimo Scotto, & Tridentina Cappellania 5. Aprilis 1715. S. Verumtamen, coram R. P. D. meo Cerro.

16 Ad differentiam alterius casus, quando illi de familia, & descendencia sint à Testatore vocati immediatè, & directè absque facultate data Patronis de illis praesentando, aut nominando, dirigendo verba ad collatorem, quia in hoc themate si duo concurrant, alter Proximior, & grandior aetate, & alter remotior, & minor aetate, praestatio semper spectat ad Proximiozem, sive dignorem juxta juris dispositionem, de qua est *Text. in Canon. si forte distinct. 63. cap. 3. de jure patronat. De Luc. de linea legali artic. 24. num. 24. vers. ego per transeo, cum aliis laudatis per Rot. in Civitatis Castell. Canonica-*

tus 12. Martii 1714. §. Conciliari nihilominus, cor. Eminentiss. Scotto.

17 Ex prædicta igitur distinctione undique recepta cessare videbatur omnis difficultas, quod Testator etiam in jurepatronatus passivo requisiverit senioritatem, sed etiam eò magis omnis fugabatur ambago, introspecta litera ipsius Instrumenti foundationis, & observantia subsecuta. Ex litera enim habebatur, quod fundator in hoc jurepatronatus passivo pro prælatione nunquam consideraverit hanc senioritatem, sed potius contrarium dixerit demandando, ibi = *Quod inter plures in eadem linea, & pari gradu, quod præferatur dignior, & habilior* =; Ergo si fundator in passivo prælationem dedit digniori, & habiliori, non consideravit qualitatem Senioris, quia Senior est qualitas, quæ in uno tantum concurrat, & qui est senior potest esse non dignior, nec habilior, & consequenter inclusio unius qualitatis volitæ in prælatione ad passivum, excludit aliam qualitatem diversam senioritatis, in qua plures æquè seniores concurrere non possunt ex regula *Text. in leg. cum Prator ff. de judic. Rota coram Ottobon. decis. 26, num. 10. & seqq., & in Tridentina Cappellania 5. Aprilis 1715. §. Juxta enim cor. R.P.D. meo Cerro.*

18 Observantia enim magis solemnior esse non poterat, quia proficiscitur ex facto ipsius fundatoris, dum in prima vacatione ipse præsentavit unum ex filiis ætate juniorem respectu aliorum, nempe quingentum, & deinde per ejus obitum quartogenitum, quæ observantia veluti proveniens ex facto ipsius fundatoris, dicitur interpretationum regina, & accipienda venit pro declaratione legis foundationis ab ipso datæ, ut tradunt *Card. de Luc. de Benef. disc. 61. n. 31. versic. secundò ponderabam, Rot. in Sutrina Canonicius 21. Junii 1706. §. final. cor. Eminentissimo Priol. & in Aئين. Beneficii 27. Julii 1706. §. Et quatenus, coram bo. mem. Kaunitz.*

19 Maximè quia præter observantiam fundatoris concurrat etiam judicialis confessio ipsius Christofori facta in ultimo statu dicti anni 1700., in quo, ut supra præmissimus, fuerat præsentatus: In eo enim factus fuit, quod fundator, ibi = *Ha dichiarato più volte in suo vivente,*

doppo l'erezione seguita della Cappellania controversa, esser sua mente, che in caso di vacanza della medesima, si dovesse a quella presentare, & istituire una persona idonea de' suoi descendentibus havuto riguardo ALLA SOLA IDONEITA', E CAPACITA', E BUONI COSTUMI, NON CONSIDERATA LA SENIORE ETA', E QUALITA' SACERDOTALE =: Hæc autem clara confessio facta ab eodem Christophoro non oscitanter, sed judicialiter in positionibus in ultimo statu, expressè prohibet eundem posse propriæ confessioni, propriè Testimonio resistere, ut inquit *Text. in leg. generaliter Cod. de non numer. pecun., ibi = Iniquum enim esse putamus quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare Testimonioque proprio resistere =, & firmavit Rot. in Casertana Beneficii 27. Martii 1715. §. Superaccedente, coram Eminentissimo Scotto, & 15. Junii 1716. §. Altera autem, cor. R.P.D. meo Althann.*

20 Quibus præmissis insustentabile quoque emicuit argumentum illud, quod sicuti in jurepatronatus activo vocatus semper fuit senior ad præsentandum, ita quoque in Patronatu passivo ex ipsa lege foundationis, ibi = *Servato tamen ordine, & qualitatibus superius in vocatione ad jus patronatus expresso* = Quæ clausula *servato ordine* =, importet repetitionem omnium præcedentium qualitatum, ut in specie hujus clausulæ notant *Altograd. cons. 60. num. 105. & 108. lib. 2. Giovagnon. consil. 34. num. 24. versic. non obstat lib. 2. Ciriac. contrav. 69. n. 39.*, quia relatio ad ordinem, & qualitates expressas in jurepatronatus activo, nullo pacto importare valet senioritatem illam, quæ congruebat activo, & non passivo. Nam in activo, vocatis sex lineis Patronorum, omnes gaudere poterant jure præsentandi, cum in unaquaque linea senior adesse debeat, non sic respectu passivi, ubi senioritas discretivè in qualibet linea, & in sensu distributivo sumpto, nequaquam applicatur, quia Beneficium non potest dari nisi uni, unde de necesse intrat conclusio, quod relatio intelligenda sit ad ea, quæ subjæctæ materiæ applicantur, non autem ad ea quæ disconveniunt, ut dixit *Rot. decis. 536. n. 81. part. 4. recent., & in specie in Rhegien. jurispatronatus, seu*

Cap-

Cappellania 27. Junii 1708. S. Multoque minus, cor. Eminentissimo Priolo, & in Placentina Beneficii 2. Julii 1717. S. Nil pariter obstat, cor. R.P.D. meo Cerro.

Et in omnem casum si procedendum foret cum eadem methodo tenta per fundatorem in jurepatronatus activo, quod ex dictis impossibile redditur in jurepatronatus passivo, aliud dici non posset, nisi quod sicuti in jurepatronatus activo senior volitus fuit discretivè in qualibet linea, ita in jurepatronatus passivo eadem qualitas senioritatis exoptata fuisset distributivè in qualibet linea, eo ipso, quod de pluribus loquebatur non collectivè, & à toto genere sumptis, sed à diversis stipitibus, & lineis procedentibus, juxta ea, quæ notarunt *Card. de Luc. de fideic. disc. 17. num. 8. 11. & 12. Rot. in Faventina jurispatronatus 12. Maji 1700. S. Quo vero cor. Me.*

Exclusa ex prædictis hac qualitate minoritatis, minus obstat, quod requisita fuerit proximioritas ex supra relatis verbis = *Et inter plures in eadem linea, & pari gradu, quod præferatur dignior, & habilior* = ; Quia hæc verba quemadmodum non important, nec importare valent qualitatem senioritatis, tum ex virtute literæ, tum ex verisimili voluntate ipsius fundatoris, eminenter ex supra exposita observantia patefacta, ita nec importare valent prælationem proximiori, sed habent quidem diversum significatum omninò extraneum: Cum enim fundator vocasset plures distinctas lineas efformandas à dictis ejus filiis, & successivè à filiabus, ac demum ab extraneis in jurepatronatus activo vocatis, & illos non respexerit collegialiter, & per modum unius, omni remota gradus prærogativa, inde considerando casum, quod in una, eademque linea possent adesse plures habitualiter, & potentialiter capaces, voluit, & ordinavit, quod inter istos plures in eadem linea existentes, & pari proximioritatis gradu pollentes, esset præferendus dignior, & habilior, ut sine ope glossæ clarè demonstrant præcitata verba = *Quod inter plures in eadem linea, & pari gradu, quod præferatur dignior, & habilior* = ; Undè cum præsens facti thema non versetur inter plures de eadem linea, sed de diversa, cum Christophorus præ-

Pars VI.

dictus descendat ab una, & Joannes Antonius ab altera, inde sequitur, ut pro extranea sit hæc Lex foundationis, quæ loquitur de concursu plurium in eadem linea existentium, & sat est in hoc casu data diversitate linearum, quod nullus alius dignior, & habilior de eadem linea concurrat cum D. Joanne Antonio, ex eo quia quando concursus est inter lineas, prærogativa gradus non servatur, nisi discretivè in qualibet linea, & unusquisque proximior in sua linea (in materia tamen indifferenti) succedit pariter cum altero proximior, & de altera linea, licet inter eos gradus inæqualitas comparativè vigeat, ut bene firmant *Card. de Luc. de fideicom. disc. 11. & 17. & num. 8.*, & alias dixit *Rota in Bononiensi fideicommissi de Marsiliis 25. Januarii superioris anni S. Haud officiente cor. me, & in Perusina Canonatus 5. Junii 1716. S. Ceterum, cor. R.P.D. meo Lancetta.*

Suppositum igitur prædictum tam senioritatis, quam proximioritatis in lege foundationis repositum, quemadmodum ex hæcenus dissertis, omninò insubsistens detectum fuit, ita prælaudatus Joannes Antonius habens pro se gratiam Apostolicam pro præsentato cum derogatione medietatis vocum, fundatissimum jus habebat, ad hoc, ut literæ Apostolicæ debitæ executioni forent demandandæ; Sed quando etiam ille per malam hypothese facti assistentia non existeret præmunitus, adhuc in præsentati nil relevaret, ex quo prædictus Christophorus ex suo proprio, & particulari facto hujus Beneficii se incapacem reddidit, quia cum in dicto ultimo statu anni 1700. quamvis fuisset præsentatus per majorem partem vocum, attamen instructa lite coram Ordinario, maluit potius illi renunciare, & recipere in pecunia numerata loco ipsius Beneficii, per viam concordie scuta mille sexcentum monetæ Romanæ, quantum important libræ octo mille monetæ Sabaudie; inde exorbitabatur quod cum pretio mediante, cedendo juri, quod habebat super Beneficio, cujus virtute sibi debita erat Institutio, in substantia vendiderit Beneficium, & fecerit de illo mercimonium, ex dicta Beneficii venditione incidit in detestabile Simonie crimen, propter

M m 2

propter

pter quod amiserit vocem passivam, tali modo, ut prorsus redditus fuerit incapax, & inhabilis ad illud denuo assequendum, etiam ex vi novæ Electionis, seu præsentationis, ut bene firmat *Passerin. de elect. cap. 7. n. 371. Sanchez consl. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 120. n. 37. Lambertin. de jurepatr. lib. 2. part. 1. quæst. 9. artic. 10. per totum*, & extat Bulla S. Pii V. super qua *Navar. in Summ. Bullar. part. 1. comment. 18. num. 1. & 11*. Ubi quoad hanc pœnam, ut quis remaneat incapax, nec possit promoveri ad Beneficium, firmat nullam esse differentiam inter Simoniacum notorium, vel occultum *Rebuff. in prax. benef. tit. de Simon. resignat. n. 12. Corradin. in prax. Benef. lib. 4. cap. 5. n. 50. in fine versic. ac proinde*.

Præsertim quia hæc Simonia non probabatur per præsumptiones, aut conjecturas, sed per duo publica documenta, sive Instrumenta, in quorum primo rogato 3. Junii 1701. Christophorus prædictus cessit Beneficio, omnique juri sibi competenti ad illud vigore suæ præsentationis, in excambium accipiendo prædictam ingentem pecuniarum quantitatem librarum ter mille tunc solvendarum, nec non aliarum librarum quinque mille, licet hæc non essent debitæ, nisi post obitum cujusdam Tomassinæ tunc viventis pro quodam legato per ejus mortem purificando, & hoc = *A riguardo delle spese fatte (sunt verba præcisa) in detta lite, e nel dubbio evento della medesima, E PER OGNI RAGIONE potesse competere a detto Signor Christophoro Boetti a quello anche come sopra nominato in linea eguale, e per altri motivi per sua parte addotti* = Unde dubitari non potest de apertissimo contractu Simoniaco, tum ex prædicta anticipata solutione dicti legati, quæ est pretio æstimabilis, tum etiam ex effectiva solutione dictarum librarum ter mille, nullum alium titulum præferente, quam venditionis hujus Beneficii, cum de cætero non

26 liceat etiam in Beneficio litigioso cedere jura, & concordare pretio mediante, absque Beneplacito Apostolico, *juxta Text. in cap. praterea de transact. Suarez. de Simon. lib. 4. cap. 55. n. 17. lit. E. Monacell. in formul. for. Eccles. part. 1. tit. 7. formul. 2. n. 3. Rot. dec. 95. n. 3. par. 4. rec.*

In altero verò sub die 5. Septembris

27 anni 1702. facta exitit quietantia finalis de omnibus pecuniis in præcedenti Instrumento Simoniaci promissis, & ideo concurrente effectuione, & consummatione Simonix, jure hæsitari non valet de reali, sive conventionali Simonia, quæ semper dicitur adesse, ubi post concordiam, sive cessionem, effectiva pecuniarum solutio intercedit, ut bene probant *Gonzal. in cap. final. num. 1. de Simon. Navar. in Manual. cap. 23. n. 103. Giballin. de Simon. quæst. 1. n. 2. Reverendissimus Petra ad constitut. Apostol. tom. 4. fol. 501. n. 10.*

Sentientes Defensores Christophori 28 vim, & efficaciam prædicti contractus Simoniaci, illud declinare studuerunt, respondendo, quod tunc prætentum Simonix crimen objectabile sit, ubi agatur de conventionem, sive transatione principaliter inita super ipso jure Beneficii, secus verò ubi, prout contigisse in casu agebant, conventio unice respiciat renunciationem litis, ac solutio, & respectivè receptio pecuniarum facta sit ad redimendas vexationes, & in compensationem expensarum litis pro bono pacis, ad tollenda jurgia inter sanguine conjunctos, quia in hoc casu cessare omnem suspicionem Simonix, & calumniosam esse diffamationem provenientem ex hoc facto licito, firmet *Gloss. in cap. dilectus il 1. verb. recepit de Simon. Corrad. prax. Benef. lib. 4. cap. 5. sub n. 59. Rot. cor. Burratt. dec. 307. sub n. 5. Card. de Luc. de benef. disc. 79. n. 9. & melius de regal. disc. 47. num. 10.*

Sed frustrà, quia opinio dictæ *Glosse*, quæ de cætero tunc solum locum sibi vindicat, quod quis foveat bonum jus, & certum, itaut nullo modo dubitet de jure suo, & vexationes sint de facto à persona potentiori provenientes, in quibus terminis loquuntur auctoritates mox laudatæ, & quæ minimè congruunt nostræ hypothese, ex supradictis nullo pacto in omnem casum procedere valeret in præsentati, in quo lis non agitur cum Juvenali Boetto pecuniam dante, sed cum Christophoro pecuniam recipiente, respectu cujus actus receptionis pecuniarum est semper Simoniacus, & iste est casus in 29 re, in quo potest quis dare pecuniam pro conservatione juris spiritualis quaesiti absque vitio Simonix, & solum illam

com-

committat, qui recipit, ex quo in hoc casu turpitudine est solum ex parte ipsius recipientis, ut egregie observat *Felin. in d. cap. dilectus de Simon. ante n. 1. Corrad. in Praxi Benef. dicto lib. 4. cap. 5. n. 59. versic. secundus casus.*

Neque dicta solutio considerabilis quantitatis pecuniarum referri valuit ad expensas in lite factas, quia in primis spatium sex mensium litis antequam Ordinarius dedisset alicui Institutionem, expensæ non poterant consistere nisi in paucis nummis, & sic non ascendere ad dicta scuta sexcentum, ut patet cogitanti; Ultra quod committitur Simonia, etiamsi datio pecunie facta fuerit nomine expensarum litis, ut bene respondit *Alexander III. in cap. cum pridem de pactis*, ibi = *Cum pridem S. Clericus, & P. Clericus pro causa, quæ inter eos &c. super Ecclesia, & Cappella vertebatur, ad nostram presentiam accessissent, inter se, non tamen Nobis mediantibus, convenerunt, quod eidem P. pro expensis, quas fecerat tres marca argenti conferrentur, & idem P. liti cederet &c.; Cumque compositionem istam auctoritate Apostolica peterent confirmari, nos eam non duximus admittendam, pro eo, quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere = & firmat *Monacell. in formul. for. Eccles. part. 1. tit. 7. form. 2. num. 2. Pirr. Corrad. in praxi Benef. dicto lib. 4. cap. 5. n. 58. Rot. in Comen. juris patronatus 3. Junii 1689. S. Crescit, coram bon. mem. Manuel, & coram Dunoz. decis. 490. n. 9.**

Neutiquam adversante quod dicti Textus censura in *cap. cum pridem de pact.* non possit procedere in presenti casu, ex quo concordiam prædictam approbaverit Ordinarius, in quo themate, procul abesse videatur suspicio turpis pactionis inter partes, itaut pactum prædictum viribus subsistat; Etenim quidquid sit de illo articulo an Episcopus inter Collitigantes, possit motu proprio, sive ex officio per viam concordie ab ipso ordinatæ, seu per sententiam dare uni institutionem, & alteri pensionem reservare in quo affirmativam tuentur *Gloss. in cap. cum pridem de pactis in verbo non duximus ubi Panorm. sub num. 2. Corrad. in praxi Benef. lib. 4. cap. 5. n. 59. versic. secundus prope finem*; Negativam verò sententiam

tanquam veriolem strenuè defendit, ac probat *Fagnan. in cap. nisi essent de præb. ex n. 40. ad plures seqq. usq. ad 65.*, quæ opinio est recepta in praxi.

Domini censuerunt hujusmodi articulum esse extraneum ab hujusmodi subiecto casu, ubi Ordinarius non fuit ille, qui decrevit concordiam, aut solutionem demandavit in causam expensarum, sed ipsæ partes antequam Ordinarius sententiam Institutionis ferret, sua sponte secum concordarunt, deveniendo ad concordiam, in qua Præsentatus cessit juri quod habebat in Beneficio ad favorem alterius, recipiendo turpem recompensam Simoniacam in magna pecuniarum quantitate, colorata ex causa expensarum, quæ nullæ aut modicæ erant, & ex dubio litis eventu, sed expressa etiam causa jurium super beneficio competentium Christophoro pecuniarum receptori, ibi = *Ariguardo delle spese fatte in detta lite, e nel dubbio evento della medema, e per OGNI RAGIONE POTESSE COMPETERE à detto Signor Christophoro Boetti &c. in quibus terminis nemo inter Doctores dubitavit conventionem esse Simoniacam juxta Text. in dicto cap. cum pridem de pactis cum supra allegatis*; Neque Episcopi approbatio, seu confirmatio in his terminis in quibus dicta pactio Simoniacam redolet pravitatem, ullius est momenti, quia Episcopus nullam habet facultatem approbandi concordias Simoniacas ita nuncupatas, quia sunt prohibita ab Ecclesia, sed requiritur autoritas Summi Pontificis, ut inquit *Fagnan. in cap. non sine num. 3. & seqq. de arbitr. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 29. num. 165. vers. horum, Sanchez Consil. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 120. n. 37.* Et notum est quod sola Papæ autoritas vitium Simonie purgare valet *Rot. coram Coccin. dec. 40. n. 5, & dec. 1508. n. 4. Lotter. de re Benef. lib. 3. quæst. 29. n. 166.*

Et ita cæteris omiſſis quæſtionibus, tum quia literæ Apostolicæ compertæ sunt justificatæ, tum quia in omnem casum Christophorus non sit capax hujus Beneficii, & per consequens non legitimus Contradictor Joannis Antonii; Domini eas esse exequendas responderunt.

Utraque &c.

R.P.D.

R. P. D. ROVAULT DE GAMACHES

Auximana Jurispatronatus.

Luna 27. Junii 1718.

Persistentes hodie Domini *In Decisis* coram Me die 11. Martii proximè præteriti, iterum censuerunt exequendas esse Literas Apostolicas à Jacobo ab Aqua obtentas cum gratia pro præsentato intrà legitima tempora à medieta- te Patronorum, à Philippo Antonio scilicet Patre, & à Canonico Servilio Patruo, quibus cum re vera competat medietas jurispatronatus Beneficii controversi nuncupat. *Donne Sorutia* erecti ad Altare DIVI Joannis Evangelistæ in Cathedrali Ecclesia Auximj, ut jam dudum firmavit *Sacra Rota in alia Auximana jurispatronatus 27. Junii 1701. cor. Reverendissimo Domino meo Ansaldo Decano, confirmata 9. Martii 1703. coram bon. mem.*

33 *Muto*, nec in dubium revocetur Clericatus Jacobi, ejusdemque idoneitas, hinc sequitur, quod dictæ Literæ, veluti in omnibus justificatæ debitæ, ac ce- lestem executionem mereantur juxta *Text. in cap. si cap., ibique Glos. verb. exequatur de præben. in sexto, Rota coram Emerix jun. dec. 1287. num. 1. in Mediolanen. Beneficii prima Aprilis 1707. §. Et ad rem, cor. Reverendissimo Domino meo Ansaldo Decano, in Imolen. Custodia 5. Junii 1706. §. Hujusmodi siquidem coram Eminentissimo Domino Cardinali Scotto, & in Abulen. Cappellaniæ 31. Januarii 1718. §. Inconclusa, coram R. P. D. meo Lancetta.*

Nec est cur objiciatur, eosdem Philip- pum Antonium, & Canonicum Servilium Fratres ab Aqua post vacationem dicti Beneficii conventionem statim inivisse cum Alexandro de Florentiis Compatro-
34 no, præsentandi Josephum illius filium; Unde inferebatur, illis integrum non fuisse ab ea recedere, & loco Josephi, Jacobum præsentare, ut distinguendo simpli- cem promissionem factam Personæ præ- sentandæ, à promissione facta inter ipsos Patronos monent, *Rocch. de Curt. de ju- repatronat. verb. honorificum quest. 12. in fine, Lap. allegat. 78. n. 6. Lambert. de ju- repatronat. lib. 2. part. 2. quest. 7. art. 15.*

*num. 2. & art. 16. sub num. 2. & 4., & per consequens literas pro Præsentato, reticita hac promissione, à Jacobo obtentas subreptitias esse, atque inexecutable per Text. expressum in cap. super literis, ubi Glos., & communiter Scribentes de rescript., Rota in Montis Regalis Prioratus 24. Januarii 1718. §. Neutiquam, coram Reverendissimo Domino meo Ansaldo Decano, cum nunquam censeatur Summus Pontifex, concedendo gratiam voluisse ludere jus tertio quæsitum, ex notatis *A Rosa de execut. litter. Apostolic. part. 1. cap. 15. n. 150. & seqq. Ventrigl. in prax. part. 2. annot. 4. num. 75. Card. de Luca de Benefic. disc. 36. n. 18. Rota in Urgellen. Beneficii, seu Canonicatus 22. Junii 1716. §. Certius verò coram R. P. D. meo Herrera.**

Etenim objectum istud à quo pendet præcipuum Causæ momentum. Deficit primo in antecedente, quia inter Fratres ab Aqua, & Alexandrum de Florentiis Patronos nil aliud fuit actum, quam tractatus super nominatione faciendæ ad Beneficium favore Josephi, ut indubiam fidem perhibet Canonicus Garullus Mediator, & confirmant duo alii Testes omni exceptione majores; Splex autem
35 tractatus circa Personam nominandam nulli jus tribuit, longèquè distat à promissione de præsentando; multa enim quotidie tractantur, quæ postea non perficiuntur ad *Textum in leg. multum interest l. si quis alter, vel sibi, leg. si voluntate Cod. de rescin. vendit. Rota cor. Bich. decis. 411. num. 8. & in Romana, seu Januen. Pecunia- ria 2. Julii 1710. §. Neutrum, & §. Ita quoque, coram R. P. D. meo Crispo; Quibus sanè Testibus contraponi non merentur Testes à Josepho induciti ad docendum de perfectione tractatus, & de promissione præsentandi Josephum facta à Fratribus ab Aqua; Quia alter illorum est Pater, & alter Avunculus Matris dicti Josephi, alii verò sunt familiares. Ideoque iisdem in conflictu aliorum Testium contrarium deponentium deferendum minime est, tametsi à Vicario Auximano examinati fuerint formiter super articulis, quia dictum examen peractum fuit tempore, quo idem Vicarius nullam amplius habebat in Causa jurisdictionem propter appellationem à Jacobo, diebus ante interpositam, & qua attentà meritò tan- quam*

quam nullum, & attentatum circumscriptum deinde fuit à Signatura justitiæ, remittendo Causam ad Sacram Rotam cum clausula = *Ex integro quoad omnes* =, suaptè natura præferente circumscriptionem omnium Actorum præcedenter factorum leg. cum non eo die Cod. quando procurat. non est necess. Gratian. discept. forens. cap. 734. n.1. & 2. Rota in recent. decis. 68. num.11. part. 16. Nilque turbat illa alia adjecta clausula = *Transportatis Actis* = Coram primo Executore, qualis fuerat idem Vicarius; hæc namque operatur, ut eadem Acta inservire possint in novo judicio, non tanquam Acta valida, sed loco jurium dumtaxat, ad differentiam alterius casus, quo Signatura rescripsisset *firmis remanentibus Actis*, ut advertit *bo. me. R.P.D. Masserius in suo Voto impresso apud Balduc. decis. & rer. judicat. tit.4. de Dote decis.6. n.19.*

Verumtamen quatenus etiam ex istiusmodi tractatu ulla oriri potuisset promissio, seu obligatio Fratrum ab Aqua præsentandi Josephum, adhuc nihil prorsus officeret ex triplici ratione, quarum prima est, quod eadem promissio pura, & absoluta nunquam fuit, sed conditionalis, & correspectiva, nedum ad reservationem Pensionis scutorum decem favore alterius ex filiis Philippi Antonii, de qua loquuntur ipsimet Testes Josephi; Verum etiam ad liberam dimissionem cujusdam Domus ab Alexandro ejus Patre faciendam eidem Philippo Antonio, ut de facto proprio amplè testatur præfatus Mediator, confirmant relati duo alii Testes, & clarè deponit etiam unus ex Textibus ab ipso Josepho examinatis super Articulo quarto, & quinto contra quem plenè probat *Rota coram Celso decis.3. num.6. in recent. dec.110. n.3. par.16. decis.120. n.8. part.17. & decis.409. num.4. par.19.* Quamobrem cum, nec pensionis reservatio effectum habere potuerit ob defectum Beneplaciti Apostolici intrà tempus quatrimestris à Josepho non impetrati, nec dimissio Domus sequuta unquam fuerit, ob renitentiam Alexandri, ut patet quoque ex fide dicti Mediatoris, & duorum aliorum Testium, dubio procul promissio Fratrum ab Aqua qualiscunque sit, ipso jure, & ipso facto resoluta remansit tanquam deficiente causa, sinè qua fa-

cta non fuisset, *Rota cor. Buratto dec.649. num.6. in recent. dec.135. num.17. par.19.* Et quidem rectè, quia nulla, æqui bonique ratio exposcebat, quod illi datam fidem servare tenerentur Josepho, & Alexandro, quando viceversa isti ex parte sua promissa implere noluerunt, ad tradita per *Rebuff. de nominat. quæst.17. num.21. Garz. de Benefic. part.5. cap.9. n.240. Lambert. de jurepatr. lib.2. part.3. quæst.2. art.2. n.27. Vivian. de jurepatr. lib.12. cap.5. n.2.*

Secunda ratio æquè valida est, quod dicta promissio fuit insuper nulla, veluti pactio nata, quod prohibitum est in Spiritualibus, & quod magis est etiam intrinsicè Simoniaca ratione correspectivæ promissionis Pensionis, & dimissionis Domus, ex animadversis per Rotam in *Montis Regalis Prioratus 24. Januarii 1718. S. Suppositum igitur, coram Reverendissimo Domino meo Ansaldo Decano.* Ideoque per illam nullum jus acquiri potuit Josepho, per *Text. in cap. præterea de transact. Corrad. in prax. Benefic. lib.4. cap.5. n.56. Vivian. de jurepatr. lib.9. cap.3. num.6. in fine, Rota in Mediolanen. Beneficii 7. Junii 1715. S. Ulterius, cor. R.P.D. meo Crispo, & 11. Decembris 1716. S. Et altera, cor. R.P.D. meo Cerro, non attentata reservatione Beneplaciti Apostolici, quæ regulariter præservat ab incurfu Simonix, ea ratione, quod Contractus, hac conditione, initus, ex contrahentium voluntate, pro non facto habetur, si Papa illum non approbat, *Cardinalis de Luca de jurepatronat. discurs.48. num.1. & 2. Rota in rec. dec.357. n.12. part.12.* Nam cum beneplacitum non fuerit à Florentiis obtentum intrà tempus Quadrimestris, sed post annum circiter, utique simplex illius reservatio validam non reddit dictam promissionem, *Lambert. de jurepatronat. lib.2. part.2. quæst.3. art.5. num.4. versic. quo casu, & lib.2. parte 2. quæst.3. art.9. n.5. Garz. de benefic. par.8. cap.2. n.3. Rot. cor. Bich. dec.227. sub n.32. vers. unde debuit cum aliis relatis in decis. quæ revidetur S. Frustraque.**

Imò verò si dicta promissio, veluti continens pacta Simoniaca erat prohibita, & in prohibitis, antequam Apostolicum Beneplacitum superveniat, contractus quicumque dicitur imperfectus, & nullus:

Idcir-

Idcirco fratres ab Aqua potuerunt, etiam durante quadrimestre, interim liberè poenitere, & à dicta promissione resilire, *Salgad. in labyr. creditor. parte 1. cap. 33. n. 22. Marefcot. var. resolut. lib. 1. cap. 14. num. 1. Card. de Luca de benef. disc. 51. n. 5. & disc. 79. n. 4. Rot. coram Puteo dec. 343. per tot. lib. 1. in correctis coram Dunozet. sen. dec. 52. n. 24. & 25.* Certius quia non obtento à Florentiis, ut evenit, intrà congruum tempus beneplacito Apostolico unà cum dispensatione super defectu legitimæ ætatis Josephi pro beneficio assequendo, eidem promissa præsentatio pro futura haud fuisset, & quod magis est fratres ab Aqua, quatenus ad illam se restrinxissent, amississent hac vice jus præsentandi ob illius devotionem ad superiorem ad *Text. in cap. nulla 2. de concess. præben. Garz. de benef. parte 10. cap. 3. num. 11. Rot. in Gerunden. benef. 3. Junii 1712. §. Minime obstant, coram R.P.D. meo Falconerio Alma Urbis Governatore*, cui sanè periculo se exponere non tenebantur quando, ut dictum est, nulli inferendo injuriam, eis de jure licitum erat alium præsentare ex notatis per *Rot. in Colonien. Canonicatus primæ Gratia 13. Decembris 1709. §. Minorem, coram R.P.D. meo Lancetta, & decima Decembris 1710. §. Quo verò, coram Reverendissimo D. meo Ansaldo Decano*.

Nec turbat responsio, videlicet beneplacitum Apostolicum, & dispensationem super defectu ætatis Josephi non fuisse intrà legitimum tempus impetratam propter impedimentum præstitum ex parte Jacobi in partibus, & propter oppositiones ab eodem factas in Dataria; quippe ultra quod statim post secutam præsentam promissionem dictum Beneplacitum Apostolicum, & dispensatio obtineri potuisset à Josepho, non attento quod illa controverteretur à fratribus ab Aqua, asserta priora impedimenta cessarunt die 18. Julii anni 1716., eo quod omnia acta illic facta, non progrediuntur ultra dictam diem, ideoque usque ad diem 21. Mensis Augusti sequentis, quo expirabat quadrimestre, plusquam congruus terminus adhuc superfuisset Josepho, unius nempe mensis, & ultra pro impetranda opportuna dispensatione, & Summi Pontificis beneplacito; Oppositiones verò in Da-

taria factæ à Jacobo, supervenerunt longè post elapsam quadrimestre; proindeque non factæ Jacobi, sed potius negligentia ipsius Josephi adscribendum est, cur post annum dumtaxat obtenta fuerit dicta dispensatio, & beneplacitum, ut advertit decisio, quæ revidetur §. *Frustraque*.

Tertia denique ratio tollens quamlibet difficultatem, ea est, quod promissio præsentandi aliquem, utpote simplex destinatio Personæ præsentandæ, seu actus præambulus ad veram præsentationem coram superiore faciendam, nullum jus certum, & invariabile, neque in re, neque ad rem dat ad beneficium, *Lapuf. allegat. 75. num. 3. & 6. Rot. in Meleovitana Beneficii 10. Junii 1712. §. His in jure, coram Reverendissimo D. meo Neocesariensis in Romana Cappellania 14. Maji 1714. per totam coram R.P.D. meo Lancetta, in Augustana Canonicatus 20. Martii 1716. §. Procedendo in fine, & 15. Februarii 1717. §. Tantumque coram R.P.D. Crispo*; Ideoque re integra, & antequam præfata promissio præsentandi Josephum exhibita fuisset Ordinario, seu Superiori habenti jus instituendi, potuerunt fratres ab Aqua, etiam ex hoc capite ab illa recedere, *Lambert. de jurepat. lib. 2. parte 7. quæst. 7. art. 2. num. 5. & art. 3. n. 1. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 6. sub n. 36. Vivian. de jurepat. part. 2. lib. 10. cap. 2. per totam, & præsertim n. 4. Rot. dec. 52. n. 9. cor. Reverendissimo Domino meo Ansaldo Decano inter ejus impres. in recent. dec. 739. num. 14. & seqq. parte 18., & probat præterita decisio §. Immo verò*.

Ex quibus præfata hypothese non applicari noscebatur distinctio illa, quod nempe facultas resiliendi à promissione præsentationis nondum superiori exhibitæ, locum habeat modo promissio facta sit Personæ præsentandæ; at non etiam quando est facta compatrono. Etenim id non procedit, nec in promissione simoniaca, quæ quamvis jurata fuisset, semper, & indistinctè revocari potest, antequam superveniat Beneplacitum Apostolicum juxta auctoritates superius allegatas, multoque minus in promissione, de qua agitur; ea enim, ut irrevocabilis redderetur, requirebatur ulterius quod fratres ab Aqua promittendo præsentare

Jo-

Josephum à se abdicassent etiam facultatem præsentandi alium mediante promissione præsentandi illum, & non alium, in quo sensu intelligendæ sunt autoritates in objectione allegatæ, ut explicat Lambert. lib. 2. parte 2. quæst. 7. art. 16. n. 1. de jurepat., & confirmatur exemplo do-

40 nationis etiam juratæ jurispræsentandi, quod exerceri nihilominus potest à Donante priusquam accedat Ordinarii consensus, & approbatio, nisi donationi adjectum fuerit pactum de non revocando, neque contraveniendo, Rot. coram Emerix. jun. dec. 149. n. 4. in Mantif. ad ornat. Card. de Luca de jurepat. decis. 27. tom. 4. in rec. dec. 80. n. 9. parte 17., & in Compostellana Parochialis 21. Junii 1696. S. Quandoquidem, & 28. Junii 1697. S. Non relevante cor. Eminentissimo D. Card. Priolo. Cum itaque Fratres ab Aqua per dictam promissionem spoliati non remanserint facultate validè præsentandi alium; Ideoque firmum jus ex ea quæsitum non fuerit Josepho; nulla exindè pro excludenda subreptione aderat necessitas exprimendi Summo Pontifici eandem promissionem in literis gratiæ pro Præsentato à Jacobo impetratis; quia etiam si Papæ innotuisset, cum non retraxisset ab illius concessione Rosa de execut. liter. Apost. parte 1. cap. 6. num. 36. & seqq. Rot. cor. Buratt. dec. 209. n. 3. in Augustana Canonicatus Provinciæ Mogontina 14. Martii 1710. S. fin. cor. Reverendiss. Molines, & in Abulen. Cappellaniæ 31. Januarii 1718. S. Quovero, coram R. P. D. Lan-

41 cetta.

Hæc quoad literas Jacobi, quæ si ex hucusque deductis exequendæ sunt, non est profectò cur sermo fiat de literis à Josepho longè post obtentis. Maximè quia exposita non fuit in illis præcedens gratia pro præsentato Jacobo elargita, & tunc temporis executioni jam commissa, quod exuberaret pro illarum subreptione Rota in Volaterana Beneficii 7. Decembris 1708. S. Destituto, cor. R. P. D. meo Crispo; Atque etiam quia sunt innixæ expressioni non veræ, quod ipse Joseph ab omnibus, vel majori parte Patronorum præsentatus fuisset, dum non aliam præsentationem, ille numerare poterat, quam illam Alexandri Paris, qui solùm altera medieta-te jurispatronatus potitur, ex quo facto

Pars VI.

resultat inexcusabilis obreptio, nullas, & irritas prorsus reddens easdem literas, Rot. cor. san. mem. Gregor. XV. decis. 425. num. 3. & 4., & coram Bich. decis. 479. num. 3. Et demum quia dictus Joseph incapax erat obtinendi beneficium Ecclesiasticum ratione defectus legitimi ætatis annorum 14. pro eo requisitæ à Sac. Concil. Trid. sess. 23. cap. 6. de reform. Idem- que juvari nequit dispensatione; Cum illa quoque inefficax, & nulla sit, utpotè impetrata elapso jam quadrimestre dato Patronis laicis ad præsentandum, Corad. in prax. benef. lib. 4. cap. 6. n. 4. vers. quod quidem, & reticito in ea jure Jacobo perfectè quæsito vigore dictæ prioris gratiæ pro Præsentato, ut firmat decisio, quæ revidetur §. fin.

Neque tot defectus sublatis dici possunt ex relaxatione istarum literarum Josephi ab Eminentissimo D. Cardin. Prodatorio demandata, contradicente Jacobo. Si quidem id minimè congruebat stylo Datarariæ, in qua tanquam in Tribunali gratioso partes Judicis non assumuntur, & propterea circa idem beneficium plures, & diversæ gratiæ petentibus quandoque conceduntur, remittendo tamen, ut in præsentati evenit, illarum examen ad Judicem, coram quo discuti debet an potius una gratia, vel altera sit exequenda, ut huic objecto aliàs respondit Rota in Comen. Parochialis 10. Januarii 1707. S. Frustra, & S. fin. coram bo. ms. Caffarello, & alibi passim.

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Nominatus, si donaverit Patrono Apparatamentum, quod erat de juribus Cappellaniæ, & obtinuerit subinde ab eo nominationem ad Cappellaniam, an sit reus confidentiæ simoniacæ.

SUMMARIUM.

- 1 Ex quibus dignoscitur esse reus simoniæ confidentialis? & n. 2.
- 3 Cappellaniam esse beneficium Ecclesiasticum, ex quibus resultat? Vide ibi.
- 4 Ad effectum incurrendi confidentiam Si-

N n mo-